

ternam quoque inter nos esse benevolentiam demonstramus. (*Serm. 10. de instituenda vita, &c.*)

CXCVII. Non sanctitatem Deo tribuimus illis verbis: Sanctificetur nomen tuum; sed eam, quæ ipsi inest, laude afficimus; pro eodem enim dixit, sanctificetur, quod glorificetur; qua voce erudimur, ut virtuti convenienter vivamus; quam nostram in vitam inspicientes homines, Patrem nostrum, qui cælis est, glorificent. (*Ibid.*)

CXCVIII. Adveniat regnum tuum; namque perturbationum corporalium oppressi tyrannide, & innumerabilibus tentationum impressionibus appetiti, Dei ipsius egemus regno. (*Ibid.*)

CXCIX. Postquam rebus omnibus terrenis vale dicere, & regnum Dei indesinenter expectare docuit, jussit dicere: Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra: futurarum enim rerum amorem ubi indidit, facit, ut illius percussu desiderio dicamus: da nobis Domine ejus, qui in cælis est, vitæ rationem sequi, ut quæ vis ipse velimus etiam ipsi; opitulare animæ nostræ laborantis proposito, & quæ tua sunt agere cupientis, verum impeditæ corporis infirmitate. (*Ibid.*)

CC. Panem nostrum substantialem da nobis hodie; non vitium, sed victum; qui quod decedit corpori suppleat, & quam adfert inedia mortem arceat. Non ferculorum missus varios, non pistorum artes, quæque alia ventrem onerant, mentem cæcant, quibusque animo facile corpus insultat... non hæc, ut poscamus, oratio docuit, sed substantialem panem, eum scilicet, qui in ipsius coalescens naturam corporis vertitur; atque hunc quidem non diuturnum, sed hodiernum tantum; ait enim; nolite solliciti esse in crastinum. (*Ibidem.*)

CCL. Sæpe pauperibus, qui nobis occurrunt, crimen objicimus, quod sint otio dediti. Num hoc tibi mandatum est,

mi homo? Non tibi imperavit, ut otiositatem pauperi objiceres, sed ut ipsius egestati remedium adhiberes. (*Serm. in Inscript. Act. Apost. n. 5.*)

CCII. Quomocumque reprehensio contingat, utile fuerit magnumque bonum, si ferantur reprehensiones, & accusationes: Qui enim odit redargui, insipiens est: non dixit sic, vel sic redargui, sed tantum redargui. Nam si quidem juste arguit amicus, tu peccatum corrige; sin absque ratione, lauda voluntatem ejus, agnosce, & testare amicitiaæ beneficium; non enim reprehenderet, nisi multum diligeret... in peccatis hoc operantur reprehensiones, quod in vulneribus remedia. (*Serm. de ferendis reprehension. n. 1.*)

CCIII. Non potest fieri, ut qui tam negligens sit, ut ne modicam quidem diei partem, sacrorum eloquiorum auditioni dignetur impendere, unquam venia dignus habeatur; licet millies secularium negotiorum occupationes obtendat. (*Serm. in illud si esurierit inimicus n. 3.*)

CCIV. Quod alii jejunio, planctibus, precibus, sacco, cinere, ac diversis poenitentiaæ austeritatibus vix perficiunt, ut nimirum sua peccata deleant; hoc nobis sine sacco, & cinere facile licet præstare, si modo ex animo iram deleamus, eisque qui nos injuria læserint, sincere dimittamus. (*Ibid.*)

CCV. Quem pudet, oportet peccati pudere... sed artibus, & opificiis gloriari. Sic enim fiet, ut & pravas cogitationes occupationibus ex animo facile depellamus, & egenis subsidio simus, & aliorum januis molesti non simus, & Christi legem adimpleamus, qui dixit: Beatius est magis dare, quam accipere. (*Serm. in illud salutate Priscil. n. 5.*)

CCVI. Nihil enim est in rebus humanis, quod non otiositate perdat. Nam & aqua si stet, corrumpitur...

& ferrum rubigine consumitur, & terra nihil fructuosum, sed mala gramina producit. (*Ibid.*)

CCVII. Habentes victum, & tegumenta, his contenti simus: retribuendum enim pauperibus, si quid usui nostro superest. (*Serm. 18. in illud salutate, &c.*)

CCVIII. Ne quisquam mihi dicat, consuetudo est; ubi peccatum committitur, noli consuetudinis mentionem facere: sed siquidem mala sunt, quæ geruntur, licet antiqua sit consuetudo, tolle illam: sin autem bona, licet consuetudo non sit, introduc eam. (*Serm. 18. in illud propter fornicationem, &c. n. 2.*)

CCIX. Animæ balneum sunt lachrymarum fontes, gemitus è profundo cordis ascendentes, compunctio perpetua, preces continuæ, eleemosynæ largæ; non ultra hæc opera attemptare, condemnare quod factum est. Ita peccati natura abluitur, ita expurgatur animæ macula. (*Serm. 19. de libello repudii n. 4.*)

CCX. Fundamentum Philosophiæ nostræ est humilitas. Esto multum ædifices, habeas eleemosynas, preces, jejunia, cæterasque virtutes, hac non præjacta, in vanum erunt omnia, facileque ruet super arenam extractum ædificium. Nihil est, in omnibus bonis operibus, quod ea non egeat, nihil quod sine illa stare possit. Etiam si dicas continentiam, virginitatem, contemptum divitiarum, & quæcumque libet, omnia impura, profana, & abominabilia sunt absque humilitate. (*Sermon. in illud, sive occasione, sive veritate numer. 2.*)

CCXI. Cum aliquem ex propinquis morientem videris, ne inique fer, sed compungere, ad te redi, conscientiam tuam in consilium adhibe, ac considera tibi haud multo post ex hac vita migrandum esse. Omnem socordiam ex animo præcide, facta tua expende, errata corripere, optimam fac morum mutationem. (*Serm. in illud de dor-*

mientibus nolo, &c. num. 2.)

CCXII. Ut bonum est conjugium, sed melior est virginitas: ita bonum quidem est secundum conjugium, sed melius est primum, & solum. (*Serm. in illud vidua eligatur, &c. n. 5.*)

CCXIII. Multi Patres, ut ædes magnificæ, ut prædium magni pretii filiis obveniant, cuncta faciunt, ac molliuntur: ut autem anima eorum bona sit, nullius pensi habent. Et hoc est, quod totum mundum subvertit. (*Ibid.*)

CCXIV. Liberorum ingressus, & egressus diligenter, & curiose considerandus est, quibuscum versentur, qui sint illis familiares; cum intelligamus, si hæc à nobis neglecta fuerint, nullam nos à Deo veniam impetraturos. (*Ibid.*)

CCXV. Ne divinam in nos iram ad hanc mensam accedentes, concitemus. Medicamentum est id, quod proponitur, vulnere nostrorum salutare; divitiæ indesinentes, quæ nobis regnum cælorum conciliant. Cum horrore itaque accedamus, gratias agamus, procumbamus confitentes peccata nostra; lachrymemur mala nostra lugentes, intentas, ac largas Deo preces fundamus; sicque nos ipsos emundantes, tacite, & cum debita modestia, tamquam ad cælorum regnum adeuntes. (*Sermon. de die Nativit. Christ. num. 7.*)

CCXVI. Seu divina verba audire, seu orare, sive ad Dei mensam accedere, sive aliud denique faciendum sit, cum timore, ac tremore id fiat, ne negligentia nostra maledictionem nobis accersamus. Maledictus enim, inquit Propheta, qui facit opus Domini negligenter. (*Ibid.*)

CCXVII. Propter quod & accedentes ne putetis quod accipiatis divinum corpus ex homine, sed ex ipsius Seraphim forcipe ignem, quem scilicet Isaias vidit, vos accipere. Reputate salutarem sanguinem quasi è divino & impolluto latere affluere, & ita approximantes labiis puris accipite...

quapropter oro vos, & obsecro . . . stemus trementes, & timidi, demissis oculis, elevata autem anima, gementes sine voce, jubilantes corde. An non videtis eos, qui sensibili, corruptibili, temporali, & externo regi assistunt, quam sint immobiles, non loquentes? (*Serm. de Pœnit.*)

CCXVIII. Non ita diligit Deus homines propter virginitatem, jejunium, contemptum divitiarum, hilarem elemosynarum dationem, ut propter mites, beneque compositos mores. (*Serm. 46. de mansuetud. Incert.*)

CCXIX. Cum tibi grave aliquid ferenti subrepat furor, & ira, recordare mansuetudinis Christi, & statim mansuetus eris, ac clemens. (*Ibidem.*)

CCXX. Si humilitas defuerit, licet reliquas virtutes opere quis exhibeat, illi persimilis est, qui domum suam super arenam construxit . . . humilitatem autem dico, non eam, quæ in verbis, neque quæ in lingua, sed quæ in mente, in anima, in conscientia sita est, quam solus cernere Deus potest. (*Serm. in illud Pauli vocat. n. 6.*)

CCXXI. Non ob Pascha jejunamus, sed ob peccata nostra, quoniam ad mysteria sumus accessuri: nam alioqui Pascha non jejunii, neque luctus, sed gaudii, & exultationis est occasio. (*Serm. 3. adv. Jud. n. 4.*)

CCXXII. Cum aliquam videris oriri difficultatem vel in matrimonio, vel in aliquo alio rerum statu, Deum precare: hic solus optimus est malis emergendi modus. Magna quippe est orationis armatura. (*Sermon. non esse desper. num. 7.*)

CCXXIII. Quandiu dæmon exterius impetum faciet, resistere valebimus: ubi verò mentis illi fores aperuerimus, & inimicum intus admiserimus; tum non amplius, ne minimum quidem, resistere possumus. (*Serm. pec. non evulg. num. 5.*)

CCXXIV. An non absurdum est patrem quidem, &

medicum, & judicem, & agricolam approbare; illum quidem dum filium pellit ex ædibus: Medicum dum torquet ægrotum: Judicem dum castigat: Agricolam dum amputat: Deum vero si quando nos laborantes ex nimia velit ebrietate excitare, innumeris impetere criminationibus? (*Serm. dæmones non gubern. mun. n. 5.*)

CCXXV. Si pecunias cum nobis crediderint homines, gratias agimus ob illud tempus, quo mutuati sunt, nec indignamur ob illud tempus, quo à nobis auferunt, quæ sunt propria, num Deum, quæso reprehendemus, cum à nobis repetere res suas voluerit? (*Ibid.*)

CCXXVI. Si enim hominis artificium homo imperitus assequi minime potest, multo magis impossibile est, ut immensam Dei providentiam intelligat mens humana. (*Ibid.*)

CCXXVII. Si qui dixerint, non esse Deum, ne illis respondere dignemur. Ut enim furiosis æquum non est ut quicquam respondeamus, ita ne illis, qui Deum non esse dicunt. (*Ibid.*)

CCXXVIII. Si quis Deus, ut profecto est, sequitur eum etiam justum esse, nisi enim sit justus, ne Deus quidem est. Quod si justus sit, unicuique pro meritis reddit: atque videmus non omnes hic pro meritis recipere: proinde necesse alteram nobis repositam retributionem speremus; ut cum pro meritis unusquisque receperit, appareat justitia divina. (*Ibid.*)

CCXXIX. Quomodo in incredulitate perstas cum tantam virtutis Christi demonstrationem acceperis? Verba ante hæc tempora prædicta sunt, & opera verbis vides succedere consona, & omnino prætermisum nihil. At quod non sint figmenta nostra, testantur hi qui libros & primum acceperunt, & conservant, inimici nostri, & crucifixoribus progeniti. (*Lib. quod Christus sit Deus, n. 11.*)

CCXXX. Et portæ inferi non prævalebunt adversus

eam. Ab præteritis & de futuris crede. Si enim cum ex paucis constaret Ecclesia, & novæ sectæ opus esse videretur, novaque haberetur doctrina, ac tot bella ubique committerentur, non prævaluerunt, neque vicerunt; multo magis cum universum orbem, & omnem locum, & gentes omnes comprehenderit. (*Ibid.*)

CCXXXI. Quæcumque ædificaverit Christus, nullus destruet; & quæcumque destruxerit, nullus ædificabit. Ædificavit Ecclesiam, & nullus eam destruire poterit, destruxit templum, & nullus id ædificare poterit. Nam & illam destruire conati sunt, & non potuerunt, & hoc ædificare, & non potuerunt. (*Ibid.*)

CCXXXII. Ægritudinis spiritualis causa, curiosum, & supervacaneum istorum studium, & quod omnium quæ fiunt, velint singulas causas cognoscere, quod incomprehensibilem, & ineffabilem Dei providentiam & infinitam scrutari, & in eam imprudenter, ac curiose conentur inquirere. (*Lib. I. in eos qui scandalizati sunt cap. 2.*)

CCXXXIII. Nonne mala res est morbus? Unde tamen Lazarus coronam reportavit? Nonne paupertas? Unde vero Job gloriam est consecutus? Nonne afflictiones? Unde autem factum est, ut Apostoli celebres, & illustres evaderent? Quæ porro via ducit ad vitam, nonne arcta, & angusta? Noli ergo dicere: Cur hoc? Ad quid hoc? Sed tam in dispensationibus, quam in creaturis Dei, quod silentium præbet & lutum figulo, idem & ipse, mi homo, conditori tuo præbe. (*Ibid.*)

CCXXXIV. Abraham credidit in spem contra spem: nempe præter spem humanam, in spem Dei quæ cuncta vincit, quæ cuncta potest, quæ cuncta superat. (*Ibid.*)

CCXXXV. Si novit aurifex quanto tempore derelinqui aurum in fornace conveniat, & quando extrahi, neque sinat illud remanere in igne ut corrumpatur, & exuratur;

multo magis id Deo notum est, & cum puriores nos factos videt, tentationes remittit, ne malorum multiplicatione supplantemur, & concidamus. Ne igitur ægre feramus, neque despondeamus animum, si quid inopinatum acciderit, sed ei permitamus, qui accurate ista novit, vel quando voluerit, animam nostram expurget, utiliter enim id agit. (*Serm. 62. in Paralyt. per tectum demissum n. 2.*)

CCXXXVI. Non tantum in periculis, quæ vires nostras excedunt, sed in ipsis etiam, quæ non excedunt, cælesti auxilio indigemus, ut generose possimus obsistere. (*Ibidem.*)

CCXXXVII. Unusquisque nostrum docendi est præditus facultate. Non potes Ecclesiam tam numerosam corrigere? at potes uxorem tuam monere. Non potes tantam alloqui multitudinem? At filium tuum potes ad saniores mentem reducere, potes servum tuum ad meliorem frugem revocare. Non excedit vires illas discipulorum coetus ille; non excedit sapientiam tuam modus ille doctrinæ, sed & facilius quam nos ipsi, vos illos omnes potestis emendare. Ego semel, aut iterum vobiscum plerumque versor, at tu perpetuo discipulos habes intra privatos parietes. (*Serm. cur in Pentec. Acta Apost. legantur n. 2.*)

CCXXXVIII. Ne, dilectissimi, contubernaliū nostrorum curam negligamus; siquidem maxima poena parata est illis, qui domesticos suos neglexerint. Si quis enim suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. (*Ibid.*)

CCXXXIX. Educate filios vestros in disciplina, & correctione Domini. Hæc est patrum cura pulcherrima; hæc germana parentum sollicitudo; hinc ego naturæ cogitationem agnosco, si plus in spiritualia studii conferant. (*Ibid.*)

CCXL. Signa fecit ante mortem Christus. . . crucifixus est deinde, atque, ut dicunt scelesti Judæi, non resur-

rexit à mortuis. Sed si non resurrexit, quomodo postea in nomine ejus majora facta sunt signa? (*Ibid.*)

CCXLI. Si dicas Apostolos signa non fecisse, majorem ipsorum ostendis virtutem, & gratiam divinam, quod absque signis tantum orbem terrarum potuerint ad pietatem traducere. Hoc enim maximum est, & inusitatum miraculum. (*Ibid.*)

CCXLII. *Qui manducat, & bibit indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Quemadmodum illi, qui Jesum crucifixerunt, sic & illi qui indigne fiunt mysteriorum participes, poenas dabunt. . . . Judæi quidem illud clavis in cruce diruperunt; tu vero dum in peccatis & immunda lingua, ac mente vivis, inquinans: ideo inter vos multi infirmi, & dormiunt multi. (*Serm. 6. de Martyrib. n. 3.*)

CCXLIII. Ex Ecclesia egressi ne statim nos ad intempertos coetus, aut otiosa colloquia, & inutiles occupationes traducamus; sed dum recens adhuc in nobis viget eorum quæ dicta sunt memoria, domum properemus, & cum uxore, ac liberis sedens unusquisque accurate quæ audiverit, meditetur. (*Ibid.*)

CCXLIV. Et quidem hac ætate non deest Deo Debora, non deest Deo Jahel. Habemus & nos Sanctam Virginem, ac Dei genitricem Mariam quæ pro nobis intercedit. . . . Si enim è vulgo mulier victoriam obtinuit, quanto magis Christi mater hostes veritatis confundit? (*Ibid.*)

CCXLV. Rogemus sanctam gloriosam Virginem, & Dei genitricem Mariam. Rogemus Sanctos, & præclaros Apostolos. Rogemus Sanctos Martyres. (*Ibid.*)

CCXLVI. Diabolus, cum sit astutus, scit quoniam in tempore orationis grandia postulemus, & sæpius impetremus: impedire festinat improvidas mentes. (*Serm. de Chanaanæ n. 10.*)

CCXLVII. Quid ad ista dicunt homines gravi corde

quærentes mendacium? Non est, inquiunt, malum relaxari animo, & ac distrahi. Nam quid detrimenti adfert cithara, reliquaque instrumenta musica? O extremam demeritiam! O improbam diaboli excogitationem, atque consilium, generatio prava, atque adultera, hæcine redditis Domino? Ubique immaculatus præcepit Dominus, ne omnino Christianus vanis distrahatur, neque ludicris se rebus dedat: & tu dicis, quid nocebunt ista? Væ, qui dicunt amarum dulce, & dulce amarum. Væ, qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras. Dicant nobis imperiti illi, atque insolentes, ex quanam Scriptura ostendere possint, Christiano licere eas formas assumere? Qui Sanctorum libri tale quid unquam tradiderunt? Quæ Evangelia sic turpiter, atque indecorè agere Christianos docuerunt? Nemo nos seducat. Unicuique enim nostrum scripta sunt pacta, & promissa; diaboli abrenuntiatio, & facta cum Christo conjunctio, & quæcumque opera nostra, & actiones, & sermones, & cogitationes, & distractiones, & risus, atque chachini. (*Serm. de Pseudoproph. n. 10. in Spur. &c.*)

CCXLVIII. Si habeas unde, eleemosynas eroga: sin vero non habeas, non requirit abs te Deus. Non habes panem? Non habes vestimentum? sed neque aurum? Genua inflecte, percutè pectus, educ lachrymas, ingemisce, lachrymare, manus tuas in cælum extende, oculos ad Dominum attolle: jejuna, & vigila: hæc quippe omnis habet homo, & negare non potest. Ista offerre Deo studeas omni tempore. (*Ibid.*)

CCXLIX. Dum sancta leguntur Evangelia, non temere, neque perfunctorie auscultamus: sed stantes, & attentè magno cum timore mandata excipientes, non animo concidentès, non corporibus sedentes, non proximè narrationibus operam dantes, ea prætermittere audemus. (*Serm. in illud attendite ne eleemosyn. &c. num. 2. in Spur.*)

CCL. Res sane indigna facetiis diffluere : risus enim temperantiæ vinculum laxat : risus gravitatem depellit : risus timoris Dei non recordatur : risus gehennæ minas non reformidat : risus ad fornicationem viam sternit : facetiæ sunt hominis intemperantis indicia ; scurrilitas efficit , ut in dissolutionem , & inertiam incidamus ; scurrilitas est contemptus occasio : propterea beatus Apostolus prohibet , dicens : Stultiloquium , & scurrilitas , quæ ad rem non pertinent , ex ore vestro non procedant , sed potius gratiarum actio. (*Religiosum facetiis uti non debere. Int. Spur.*)

CCLI. Oportet mulieris honestas , & gravitas curiosis oculis terrorem incutiat , & ad importunam impudentiam reppellendam sit idonea : quam etiam ob causam omnis aureus ornatus illi ereptus est , & tortorum crinium , & vestis pretiosæ , ne ornamentis quibus est cincta refulgeat , & oculos exhilaret intuentium , atque ad prolapsionem invitet. (*Ibid.*)

CCLII. Si à muliere ornatum omnem corporis amovent sacræ litteræ , quanto magis viro convenit nullo modo comptum esse , tantumque necessario amictu vestiri : sic ut tegumentum sit , & non ornamentum , sicut id appellavit Paulus. (*Ibid.*)

CCLIII. Stupidi est , & mollis animi splendidum indumentum , & subtili artificio contextum magni facere : animus autem ad altiora quæque natus , qui viri ornatus sensum capere potest , molem omnem vestem despicit. (*Ibid.*)

CCLIV. Cavete , ne honestatem , atque gravitatem ultra terminos mediocritatis , tanquam molestam quandam severitatem producat. Spiritualis quippe lætitia honeste , ac decorè ad unionem cum Deo provehit , eosque qui in congressum ejus veniunt , voluptate perfundit. (*Ibid.*)

CCLV. Ad sacrum cantum hilariter affectos nos esse oportet , non in dulces modulos effundi , neque delicate di-

vinis concentibus mulceri , neque mollibus , ac fractis sonis gaudere , atque huc illucque oculos circumferre , ut videas quo pacto lauderis ; sed in Deo lætandum est , eique soli placere studendum. (*Ibid.*)

CCLVI. Quæ ad Religionem nostram pertinent , per crucem perficiuntur omnia... hinc signaculum , sive signum appellata est , quod omnia deposita divina , quæ accipimus , hoc quasi signo quodam regio , atque annulo obsignemus , nec quidquam mali audet accedere. (*De adorat. pretiosæ crucis , n. 2. Int. Spur.*)

CCLVII. Externa membrorum compositio , honesta imago , quasi certus quidam index est interioris constitutionis animi. (*Int. Sacrum Pascha n. 5.*)

CCLVIII. Si ipsa vitæ nostræ rationis exactio per se molesta est , cum adjuncta fuerint etiam scandala , quo pacto salvabimur ? (*In secundo Advent. Domini , num. 1. Int. Spur.*)

CCLIX. Non temere dico , sed ut affectus sum , ac sentio. Non arbitror inter sacerdotes esse multos , qui salvi fiant , sed multo plures , qui pereant. In causa est , quoniam res excelsum requirit animum , multas habet causas , quæ depellant eum à suis moribus , & innumeris oculis opus illis undique. (*Hom. 3. in Act. Apost.*)

CCLX. Si quis ad summum Sacerdotium accesserit , velut ad curam , & sollicitudinem , nullus id facile susceperit. Nunc autem non aliter , quam profanos magistratus , & hanc affectamus dignitatem ; nimirum ut glorificemur apud homines , perdimur apud Deum. (*Ibid.*)

CCLXI. Qui nolens , & invitus compulsus est , habiturus est aliquam excusationem. (*Ibid.*)

CCLXII. Regnum promittit Deus , & contemnitur , gehennam apparat diabolus , & honoratur. Ille Deus est , hic diabolus. (*Hom. 6. in cap. 2.*)

CCLXIII. Mansuetus sibi ipsi dulcis, & utilis aliis. Iracundus vero, & sibi insuavis, & aliis damnosus. Nihil insuavius homine iracundo, nihil onerosius, nihil molestius, nihil foedius; quemadmodum nihil suavius eo qui nescit irasci. (*Ibid.*)

CCLXIV. Si quis noluerit toties monitus à juramento abstinere, abstinere à liminibus Ecclesiæ, sive Princeps sit, sive Imperator ipse. Nunquid vel deponetis me ob hoc, principatu? Vel si mansero; nulla me manebunt pericula? Non patiar, ut ascendam in hanc sedem, nihil egregium præstans. (*Hom. 8.*)

CCLXV. Non est possibile, quod is, qui jurat, non pejeret, sive volens, sive nolens. Non est etiam possibile quod perjurus salvetur; & ad hoc sufficit unum perjurium. (*Hom. 12. in c. 5.*)

CCLXVI. Moses admonet: Comedens, & bibens memor sis Domini Dei tui. Præceps enim est locus deliciarum, & oblivionem Dei affer. (*Hom. 16. in c. 7.*)

CCLXVII. Quo magis aliquis versatur in Evangeliiis, hoc clarius videt, tantoque puriorem videt lucem. (*Hom. 19. in c. 9.*)

CCLXVIII. Si voluerimus defuncto levius supplicium facere, præces pro illo faciamus continuas, demus eleemosynam: & si ille sit indignus, nobis Deus placatior erit. (*Homil. 21.*)

CCLXIX. Quot putatis esse in civitate nostra, qui serventur? Molestum est quidem, quod sum dicturus, dicam tamen. Non est in tot millibus invenire centesimum qui servetur, sed etiam de his dubito. Quanta malitia in adolescentibus, quanta desidia in senioribus? (*Hom. 24. in c. 11.*)

CCLXX. Alios video stare, & nugari, dum præces fiunt, & quidam non solum dum præces fiunt, sed etiam dum Sacerdos benedicit. O audaciam! quando erit salus, quomo-

do poterimus Deum placare? Si transires in ludum, videres omnes composite saltantes, & nihil inordinatum... hic cum Angelis stas, & cum illis cantas, & stas ridens. Non esse mirum, si fulmen demitteretur non solum in illos, sed etiam in nos. Digna enim fulmine sunt hæc. (*Ibid.*)

CCLXXI. Testificor vobis, qui sani estis, quod iudicium erit vobis ac condemnatio; si quis videns inordinate viventem, maxime illo tempore, non admonuerit, nec corripuerit. Hoc plus est, quam orasse. Dimitte præces, & illum corripe. Ita & illi proderis, & tu lucrum habebis. (*Ibid.*)

CCLXXII. Non ideo facta est nox, ut per totam dormiamus, & otiosi simus. Testantur hoc opifices, & negotiatores. Ecclesia Dei mediis surgit noctibus... purior tunc est anima, sublimia videt, ac est expedita: tenebræ ipsæ, ac silentium, multum in compunctionem inducere sufficiunt... tantum surge, tantum in consuetudine serva teipsum. (*Hom. 26. in c. 13.*)

CCLXXIII. Nihil conferendum humilitatis virtuti. Ipsa enim mater est, ac radix, & alumna, & fulcimentum, vinculum bonorum. Sine illa abominabiles, scelesti, & imundi sumus. (*Hom. 30. in c. 14.*)

CCLXXIV. Multi ut in medium procedant, multi faciunt... & si applaudentem multitudinem habent, quasi regnum adepti sint, gaudent. (*Ibid.*)

CCLXXV. Unusquisque nostrum apud seipsum cogitet; & tanquam in libro habeat beneficia Dei... utpote si forte evasit periculum, si morbo correptus, desperantibus omnibus, iterum convaluit; multum enim & hoc valet ad conciliandum nos Deo. (*Hom. 38.*)

CCLXXVI. Afflictiones abstrahunt nos ab affectione ad præsentem mundum. Itaque statim mortem petimus, & non sumus amatores corporis, quæ sane pars maxima Philo-

sophiæ est, non debitum esse, nec adstrictum vitæ præsentis. (Hom. 42. in c. 19.)

CCLXXVII. Mundus sum à sanguine omnium; non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis: qui igitur non annuntiat, reus est sanguinis. Nihil hoc terribilius. (Hom. 44. in c. 20.)

CCLXXVIII. Et salutem nostram curemus, & magnam faciamus ministrorum curam, ut sint boni, & edocti ea quæ sunt Dei. (Hom. 45. in c. 21.)

CCLXXIX. Pasce inimicum tuum, hoc enim faciens, &c. fieri non potest, ut benefaciens, & beneficia accipiens maneant inimici. (Hom. 50. in c. 25.)

CCLXXX. Videamus cujus cura major; divitis, an pauperis, molestior sit? Hic quidem pro necessario alimento sollicitus est; ille autem pro innumeris rebus, de necessario non anxius. Famem non timet dives, sed alia timet, sæpe de salute sua. Non equidem inops caret sollicitudine cibi, quem edat, sed caret alia sollicitudine, & habet securitatem, quietem ac tranquillitatem. (Hom. 51.)

CCLXXXI. Qui igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terram habitans? adeo nihil ei curæ est gloria, & ignominia. . . tentationes autem sic contemnit, ac flagella, quasi in alieno corpore pateretur. . . ea autem, quæ suavia sunt in hac vita, ita videt & non sentit, sicut nos, vel ipsi mortui corpora mortua. (Hom. 52. in c. 26.)

CCLXXXII. A Deo nunquam exigenda ratio eorum, quæ facit, etiam si multorum animos turbare videantur. Domini enim solius est jubere, famulorum autem parere. . . nam neque figmentum opifici dicit: Quid me sic finxisti? Qua igitur de causa id & tu scire elaboras? Nescis illum omnium curam habere? Illum sapientiam esse, illum nihil frustra, nihil temere agere, illum te magis amare, quam

proprii parentes ament? Illum vehementissime, ac longo intervallo & patris pietatem, & matris curam superare? Itaque nihil amplius pervestiga, neve ulterius progreditor. Etenim ad consolationem hæc tibi sufficiunt. (Hom. 2. in c. 1. epistolæ ad Rom.)

CCLXXXIII. Est peccante multo deterior, qui peccatu laude prosequitur. (Hom. 5.)

CCLXXXIV. Grati servi, sunt enim omnia propter Christum agenda, non propter mercedem. Ob hoc & gehennam comminatus est, & cælorum Regnum promissit, ut à nobis ametur. Amemus igitur illum, ut amare par est. Hoc magna certe merces, hoc cælorum Regnum, voluptas, delicia, honor, gloria, lumen, beatitudo infinita. (Ibid.)

CCLXXXV. Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Ac si dixisset, nullius prorsus alterius rei, nec cælestis, nec terrestris, sed tuo unius desiderio teneor. Hoc sane amor est, hoc amicitia. Hoc modo si amaverimus, nec præsentia bona, nec futura, quicquam esse præ amore eo arbitramur. (Ibid.)

CCLXXXVI. Ne mihi dixeris, te aureum idolum non adorare: quin potius illud mihi probato te ea non facere, quæ ipsum aurum faciendâ jubet. Vari enim sunt idolatriæ modi. Et hic quidem mammonam sibi Dominum, alius ventrem Deum facit, alius aliam concupiscentiam perniciosiorem. At non ipsis sacrificas boves, quemadmodum gentiles? Sed quod multo pestilentius est, tuam ipsius animam pro victima offers. At genua non flectis, nec adoras? Sed magis est dicto audiens, si quid præceperint, & venter, & aurum, & concupiscentiæ id genus alterius tyrannis. Quando & gentiles hoc nomine execrabiles sunt, quod hominum affectus Deos effecerunt; concupiscentiam, venerem, ebrietatem, Bacchum appellantes. (Ibid.)